

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3840

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Guillaume l'Archier [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1277, septembre

Lieu d'émission : Paris

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [III], roi de France, concède à Guillaume l'Archier de Pont-d'Ouve un quart des moulins sis à Pont-d'Ouve moyennant une rente annuelle de six livres et demie tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 906, p. 220.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos Guillelmo L'Archier de Ponte de Ouve ac ejus heredibus ad firmam perpetuam tradidimus et concessimus, pro sex libris et dimidia turonensium nobis annuatim persolvendis, medietate videlicet ad scacarium Pasche et alia medietate ad scacarium Sancti Michaelis, quartam partem molendini siti apud Pontem de Ouve, inter domum Nicholai L'Epeis, ex una parte, et quoddam molendinum quod appellatur Groignet, ex altera, salvo jure in omnibus alieno. Et si dictum molendinum ad firmam traditum alicui in aliquo teneatur, dictus Guillelmus ac ejus heredes tenentur ad faciendum et reddendum ea que proinde debent fieri sive reddi. Et, de dicta firma nobis, ut dictum est, annuatim solvenda, dictus Guillelmus in contraplegium posuit octo solidos turonensium annui redditus super domum suam sitam in parrochia de Karenten apud Pontem de Ouve, inter domum Colini Patin, ex una parte, et plateam Guillelmi le Dru, ex altera ; item, decem solidos turonensium annui redditus super medietatem cujusdam molendini quod vocatur Groignet ; item, novem boissellos frumenti ad mensuram de Karenten super quatuor pecias terre (quarum una sita est apud Fredevillam inter terram Thome Postel, ex una parte, et terram heredum Guillelmi Clarice, ex altera ; secunda autem sita est a la Perruque, inter terram Richardi le Telier, ex una parte, et terram Gaufridi le Rous, ex altera, tercia vero sita est super ropienvillam, inter terram Philippi Clarice, ex una parte, et terram heredum Guillelmi de Doito, ex altera ; et quarta sita est au Pommenauque, inter terram heredum Johannis Germain, ex una parte, et terram Gaufridi Le Rous, ex altera), nobis una cum predicta firma perpetuo remansuros ; si ipsum vel heredes suos a contractu hujusmodi contingeret resilire. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius anno Domini M° CC° septuagesimo septimo, mense septembri.